

confessionem, illud etiam postulare, ut per jejunia, eleemosynas, orationes et alia spiritalis vitæ opera, divinæ justitiæ satisfaciatur. Omnem enim iniquitatem, parva magna que sit, aut ab ipso pœnitente, aut a Deo vindicanti puniri oportere. Nisi igitur a Deo puniri velimus, id non aliter vitare nos posse quam si ipsi nos puniamus. Quæ quidem doctrina si constanter populorum animis inculcetur et a fidelibus denique alte imbibatur, minus profecto verendum erit ne qui profligatos mores abjecerint, ac per sacramentalem confessionem peccata sua eluerint, non eadem peccata velint atterenda carnis concupiscentia per jejunium expiare. Præterea quibus persuasum fuerit se peccatorum minus dubie pœnitere, cum se impunitos esse non sinant, ii profecto pœnitentiæ amore capti, lætabuntur. Quadragesimali tempore, cæterisque certis diebus, cum S. mater Ecclesia edicit fidelibus jejundandum, oblatam sibi esse occasionem qua dignos pœnitentiæ fructus faciant. Cumque nullo non tempore oporteat domitas habere concupiscentias; scriptum est enim; Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere; facile animus inducant, sacratissimo totius anni potissimum tempore, corporis intemperantiam mitigare jejunio; ut anima cognitione sui recepta intelligat qua compunctione parare se debeat ad sanctissima passionis, mortis et resurrectionis Jesu Christi recolenda mysteria. Itaque pœnitentiæ stimulis tacti, minus suavitates exquirant in dapibus, minus sectentur cupidiarum delicias, quæ quamvis cum abstinentia a vetitis cibis non discrepare videantur, tamen eas, qui mensæ apponat suæ, illum non immerito dixeris, non tam usitatas abjecisse delicias quam cupiditatem suam ad inusitatas illecebras traduxisse: minus denique aut, quibus se subducant a jejunio, quærant effugia, aut argutiis studeant Ecclesiasticam legem infringere.

Vestrum igitur est, Venerabiles Fratres, exemplo æque ac verbo populis præeuntes, tantum in eorum animos pœnitentiæ studium et amorem injicere, ut alacriter jejunium aggressi, et illud ad præscriptas a catholica Ecclesia leges observent, et eleemosynis etiam atque oratione sanctificent: et id, quod maxime spectat Ecclesia, denique consequantur, ut corpore mortificati, et Christo conscripti, ad novam in paschali solemnitate novi hominis vitam revocati, magna cum fiducia reviviscenti Christo Domino possint occurrere. Gratia Domini Nostri Jesu Christi cum vobis omnibus, quibus apostolicam benedictionem benevolentiam in vos, et charitatis nostræ dignum, amantissime impertimur.

Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, die 20 Decembris, anno 1759, pontificatus nostri anno secundo.

Alia ad rem, vid. verb. *Vigilia*.

ARTICULUS II.

Jejunium, quoad ea quæ concernunt personas obligatas et causas excusantes vel non.

Ad jejunium obligantur omnes Christiani

quibus est ætas competens. *Communis*, et certa ex divo Leone, sem. 11, de Quadragesima, ubi sic expresse dicit: « Adest maximum sacratissimumque jejunium, quod observantiam sui universis fidelibus sine exceptione denuntiat. » (2. Hinc ad jejunium obligantur etiam hæretici, cum sint Christiani et Ecclesiæ subditi, et ideo cum hæresi abjurata confessionem instituunt, debent omnes violationes jejuniorum aperire: Henno tom. I, tr. 1, de peccatis actualibus, disp. 4, q. 7, concl. 1, et alii passim. (3. Non tenentur tamen ad jejunium infideles omnes qui nunquam per baptismum Ecclesiam ingressi sunt. Et ratio est quia, cum non sint Ecclesiæ subditi, ita nec Ecclesiæ præceptis ligari possunt. *Communis*. (4. Præceptum jejunii incipit obligare quoslibet fideles anno ætatis 21 completo, nisi aliqua justa causa excusetur. Sic *communis* cum S. Thoma 2-2, qu. 147, art. 4, numer. 2. Et ratio est quia adolescentem ante completum 11 annum frequentiore et abundantiore cibo indigent, ratione augmentationis, seu ob crescentem ætatem et coloris abundantiam; unde Ecclesia noluit imponere obligationem jejundandi ante completum dictum vigesimum primum ætatis annum. (5. Regulares vero, licet nondum expleverint annum vigesimum primum ætatis suæ, tenentur ad jejunia suæ regulæ, quia per professionem suæ regulæ, vi voti emissi censentur renuntiasse privilegio ætatis; alia enim est obligatio religionis et regulæ, et alia obligatio Ecclesiæ: hæc non incipit nisi post completum ætatis annum 21, et illa incipit statim post emissam regularem professionem. Pontas verb. *Jejunium*, cas. 2 et 3, cum Silvio, Silvestro, Tabiena, Azorio ibi citatis; Reiffenstuel Theol. Moral., tract. 10, de præceptis Eccles., dist. 2, q. 3, num. 44; Layman, lib. iv, tract. 8, c. 3, n. 2, et de communi sententia testatur Thom. Sanch. lib. iii, Moral.; Henno, loc. cit., quæst. 7, conclus. 2, c. 11, num. 56; Felix Potestas tom. I, part. iii, n. 2892; Sporer, tom. I, append. 3, ad præcept. Decalog., sect. 4, numer. 49; Sa, Fagundez, uterque Sanch. et alii plurimi. (6. Medina tamen, Graff. Ascanius, Tamburin. et alii apud la Croix loc. cit., n. 1275, dicunt non teneri, quia præsumi potest, regulam non obligare eos sub mortali quos non obligat Ecclesia; et utramque sententiam dicit probabilem, et tutam Thomas Tamb. lib. iv, cap. 5, § 7, n. 6 et 8. (7. Ad jejunia autem Ecclesiæ de quibus propria regula non loquitur, non tenentur regulares, nisi post completum annum 21, sicuti cæteri sæculares; et Fratres Minores ante completum annum 21 non tenentur ad jejunia vigiliarum et Quatuor Temporum. Henno, loc. cit.; Felix Potestas; loc. cit.; Sporer, loc. cit., n. 49, et alii passim.

(8. Causæ excusantes a jejunio sunt principaliter quatuor, scilicet ætas, impotentia, labor et pietas. (9. Ratione ætatis excusantur a jejunio quoad plures refectiones omnes ante completum ann. 21, dummodo ad illud non teneantur ex voto, vel professione, ut supra dictum est. Non excusantur

autem quoad abstinentiam a carnibus, cum ad ipsam obligentur omnes post annum septimum.

(10. Senes quoque, ratione ætatis, a jejunio excusantur, ut concordant omnes doctores, qui tamen discordant in assignando quinam sint tales senes.

(11. Aliqui enim teste Diana part. xi, tract. 3, resol. 9, excusant omnes viros hoc ipso, quod annum quinquagesimum attigerint, sed merito rejiciuntur ab omnibus communiter. (12. Alii volunt quod absolute sint excusati et liberati a præcepto jejunii senes sexagenarii, quamvis adhuc robustæ sint valetudinis. Sanchez de Matr. t. II, lib. vii, disp. 32, n. 17, et in Consil. lib. v, cap. 1, d. 4, num. 7; Mastrius, Theol. moral. disp. 42, num. 20; Felix Potestas, loc. cit., n. 2891. Diana, part. i, tract. 9, resol. 20; Navarr., c. 21, num. 16; Tolet., lib. vi, cap. 4; Marchant., Tribunal. part. i, tract. 3, quæst. 4, § 1; Burg., centur. 3, cas. 4; Trull., Lamas, Angles, Portel, J. Sanch. Castropol., Tamburin, Stephan, La Croix loc. cit., num. 1317. Sporer, loc. cit., num. 50, ubi dicit esse hanc jam communem DD. sententiam et eam mordicus defendit dicens ex Diana, Marchant et aliis, hanc ætatem sexaginta annorum esse declaratam a S. Pio V, vivæ vocis oraculo (anno 1570, ut refert Lamas infra citandus); et in bullis Cruciatæ prohibens regulares ab eorum privilegio quoad usum ovarum, et lacticiniorum in Quadragesima, exceptis sexagenarios, quos declaravit ad jejunium non teneri, ut sub asseveratione infallibili tanquam testis oculatus refert Hieronymus Lamas part. iii methodi c. 5, § 20, addens: « Gratias Deo, quod regula deinceps tenebitur certa a summo Ecclesiæ pastore decreta. » Et ratio est, quia generatim expedit legis obligationem ita definitam ut sciatur quinam ea comprehendantur, vel non, ne ex una parte facile humana negligentia, ex altera vero nimia sollicitudo, et anxietas oriatur; ergo sicut juvenibus certa ætas definita est, ante quam jejunii lege non obligantur, ita etiam sane senibus definienda erat, ultra quam non obligentur; idque certe potiori ratione cum majus sit periculum deficientiæ in senectute, quam in juventute. Ætas autem illa rectissime definitur sexaginta annorum; nam hujusmodi robur senum est illusivum et ambiguum, et crebra sustentatione indiget, nec est expectandum ulterius ne omnino deficiat; nec obstat, quod aliqui ultra eam ætatem robusti, et ad jejunia habiles reperiantur, quia Ecclesia pia mater intendit obligare secundum communem cursum roboris et deficientiæ humanæ. Hactenus ille.

(13. Alii e contra rectius volunt sexagenarios teneri jejunare, si per præsentem vires commode possint: S. Antonin., part. ii, tit. 6, c. 2, § 6; Pontas, verb. *Jejunium*, cas. 17; Barthol. Medin., in instruct. l. ii, cap. 14, § 10; Joan. Medina, quæst. 9 de jejunio; Less., lib. iv, c. 2, dub. 6; Valent., disp. 9, part. v, Azor, t. I, lib. vii, c. 17, qu. 4; Layman, lib. iv, tract. 8, cap. 3, num. 2; Tolet. Leza-

na, Tanner, Fagundez, Filiuc. Bonacina, Cajetan., Silvest. et alii. Et ratio est, quia pro senectute non est ita definitum tempus ætatis, sicuti pro adolescentia, sed alii citius, alii tardius senescunt; et declaratio facta a S. Pio V pro ætate sexagenaria, cum fuerit vivæ vocis oraculo, videtur non vigere; cum omnia vivæ vocis oracula fuerint per Gregorium XV et Urban. VIII expressissime revocata: Unde Henno, loc. cit. qu. 7, concl. 3, miratur quosdam auctores etiam modernos tali privilegio adhærere. Tum quia lex jejunii obligat omnes jejundandi capaces; sed plurimi sexagenarii jejunare possunt sine gravi incommodo, imo æque commode, ac varii quinquagenarii, ac quadragenarii, cum de se fateatur Navarrus, licet vir studiis continuo deditus, quod octogenarius adhuc jejunaret, perinde cum esset sexagenarius, aut quinquagenarius, adeoque, etc. Tum etiam quia, sicuti, si constet aliquem vere senuisse ac viribus defecisse circa annum ætatis quinquagesimum, a jejunii præcepto liber censerit debet, ita, et vice versa, si certum sit aliquem sexagenarium, aut septuagenarium adhuc integris corporis viribus pollere talis obligatus esse videtur, cum revera senex sine viribus propter ætatem deficiens non sit. Et hanc sententiam esse æque probabilem, et magis piam, et tutam fateatur ipsemet Sporer, loc. cit., n. 50, in fine, quamvis priorem absolute defendat, et ipsi adhærens dicat se secure manere. (14. In dubio an sexagenarii sint robusti et habiles ad jejundandum, non tenentur jejunare, quia stante tali dubio exponerent se periculo gravis incommodi. Sic *communis* DD. teste Reiffenstuel, loc. cit., n. 63.

NOTA ROMANI THEOLOGI.

Auctor ex probabilistis docet sexagenarios a jejunio excusari; sed viri sancti, gravesque theologi veluti laxam hanc opinionem rejiciunt. S. Vincentius Ferrerius serm. 1, fer. 4 Ciner.: « A jejunio, inquit, excusantur senes in certa ætate, scilicet quando habent talem senectutem, quæ aufert ab eis appetitum comedendi, vel quia perdidit dentes et comedunt sæpe, vel sæpius sicut faciunt pueri. Sed senes octoginta annorum, vel amplius, qui semel bene possunt comedere, tales non excusantur in aliquo prædictorum, quin ipsi peccent mortaliter, et ideo cum diligentia omnes jejunemus. » Antonin., xi p., tit. 6, cap. 11, § 6, inquit: « Senes si sunt multum debiles, eo modo possunt excusari, sicut dictum est de infirmis. Ratione autem senectutis tantum non excusantur si sint fortes ad sufferendum jejunium. Nec est determinata ætas ab aliquo, usque ad quos annos tenetur ad jejunium. » Navarrus in Man. cap. 22, num. 16 inquit: « Impotentia eximit ab hac lege pueros usque ad vigesimum primum annum. » De senibus vero nil determinari posse contendit, cum alii citius aliis impotentes fiant, et cum vel ipsi octogenarii eadem facilitate ac juniores jejunare possint, de se ipso octogenario testatur Navarrus et post Navarrum Pontas, et alii. Hinc

sanctus Basilius serm. 1 de jejunio, dixit : « Senibus assuetudo ac familiaritas ab antiquo ad jejunium ipsum, levem faciunt laborem. » Vid. Concin., lib. II, de Eccl. præcept. diss. 2 de jejunio, quæst. 3, ubi ostendit falsam esse declarationem viva voce datam a S. Pio V. Idem de feminis dicendum est.

RESPONSIO AUCTORIS.

Asserit hic R. theologus, quod auctor ex probabilistis docet sexagenarios a jejunio excusari. Sed quæso attente perpendat ipse tam promptus in censurando theologus quænam ibi sit mea opinio, et perspicue comperiet, quod sentio contrarium; sic sub num. 13 expresse concludens : Alii e contra rectius volunt sexagenarios teneri jejunare, si per præsentem vires commode possint; et evacuationes adversariorum, et præteritam declarationem S. Pii V, ac assero quod de se fateatur Navarrus, qui licet vir studiis deditus, octogenarius adhuc jejunabat, perinde ac ut esset sexagenarius aut quinquagenarius. Ut ego ipse parum a dicta Navarri ætate distans, adhuc Dei gratia adjutus in præsentiarum servo, uti omnibus sociis meis manifeste constat.

(15. Senes post annum sexagesimum non tantum excusari a jejunio ecclesiastico, sed etiam a jejuniis debitis ex voto, et professione, ut si quis vovisset toto tempore vitæ suæ jejunare feria sexta, et post sexagesimum annum adhuc satis valens esset ad jejunium, docent Sanchez, lib. IV Moral., c. 11, num. 34; Tamburin., lib. IV, c. 5, § 7, num. 9; Fagundez, Diana et alii, eo quod dicunt ipsi : Votum, seu professio regularis obligat instar legis ecclesiasticæ, hæc autem juxta ipsos non afficit sexagenarios quoad jejunium; ergo nec etiam votum; at dato sed non concessio (nisi adsit legitima excusans causa) quod sexagenarii exempti sint a jejunio ecclesiastico, rectius dicendum est cum Layman lib. IV, tract. 8, cap. 3, num. 2, et aliis, eos teneri ac obligatos esse ad jejunia ex voto vel professione debita; quia licet verum sit votum obligare instar legis ecclesiasticæ quoad modum et formam jejunii, non tamen quoad personas et durationem; nam personæ, quæ pro tali tempore non obligantur jejunio, possunt se sine dubio ad jejunium obligare voto voluntario, et sponte renuntiare privilegio ætatis, ut patet in juvenibus ante annum vigesimum primum, adeoque etiam senes post annum sexagesimum manebunt obligati suo voto jejunandi perpetuo feria sexta, posito quod satis sint robusti ad jejunandum, quamvis eo tempore lege ecclesiastica ad jejunium non amplius obligarentur. (16. Sic etiam, si alicui per legitimam dispensationem commutaretur votum castitatis perpetuæ in jejunium omnibus feriis sextis, remaneret obligatus ad jejunium etiam post annos sexaginta, nam etiam post talem sexagesimum annum obligaretur ad castitatem; subrogatum autem sapit naturam ejus cujus loco subrogatur; cap. Ecclesia 3. Ut ille pendente, cum similibus. La Croix, loc. cit. 1326, ubi dicit quod ratio a priori est,

quia videtur sic facta commutatio, «quandiu vis frui matrimonio, tandiu utere jejunio.» Tamburin. tamen loc. cit. tenet talem post annum sexagesimum esse excusatum. At valde mirum, quod difficile habeatur ætas immunis a peccatis, et quod de facili inveniatur ætas impotens ad onera præceptorum sustinenda: quisque igitur sibi caveat, ne se ipsum in fraudem æternitatis suæ decipiat, dum facile est decipi, ubi credere dulce est.

(17. Feminae, quia citius senescunt, et de se sunt debilioris complexionis, censentur ab aliquibus absolute excusari a jejunio in ætate quinquaginta annorum; sic Pelliz., Loth., March., Narbona, neque damnare audeat Diana part. IX, tr. 7, resolut. 73. At Sanchez, lib. VII, de Matrim. disp. 32, num. 17, et sequent.; Reiffenstuel. Theolog. moral. tract. 10, dist. 2, q. 5, num. 64, dicunt sententiam illam esse probabilem speculative loquendo, sed in praxi non esse tutam, et Layman, loc. cit., cap. 3, num. 2; Tamburin., loc. cit. num. 5; Fagundez Joan. Sanch. et alii dicunt esse omnino improbabilem, et Layman concludit se nescire aliquem doctorem classicum qui eam defenderit. Absit igitur, ut quis illam amplectatur.

(18. Ratione impotentiae excusantur omnes illi, qui sine gravi aliquo incommodo, vel notabili damno jejunare non possunt; Communis. Hinc excusantur infirmi et convalescentes, quamvis infirmitatem propria culpa contraxerint. Mulieres prægnantes aut lactantes, quoties sine gravi incommodo sui vel parvuli jejunare nequeunt. Pauperes et mendici ostiatim mendicantes, et quicumque non habent quo semel sufficienter reficiantur. Quinimo, si alium cibum invenire non possunt, isti etiam carnes sibi datas licite comedunt, quia necessitas facit licitum, quod alias est illicitum; cap. Quoniam 1, quæst. 7, c. Omnis 1, de feriis; cap. Consulisti 3, de celebrat. Missar., et necessitas non habet legem; cap. Sicut 11 de consecrat. dist. 1. Excusantur etiam qui infirma admodum sunt complexione, debili stomacho laborant, ut jejunium in toto vel in parte tolerare nequeant, aut quippiam comedunt ad evitandam capitis vertiginem, vel membrorum tremorem, aut hujusmodi: tale enim quid sumitur ab istis potius per modum medicinae, quam cibi. (19. Non excusantur tamen, qui ob jejunium molesta insomnia patiuntur; qui enim dormire non possunt, nisi vesperi plene refecti, debent in prandio sumere collationem, et vesperi prandium: unde merito proscripta est hæc propositio ab academia Lovaniensi: «Qui dormire nequit, nisi vesperi sumpta cœna, non tenetur jejunare, imo neque in prandio collationem sumere, quamvis hoc modo isti incommodo obviare possit, quia nemo tenetur pervertere ordinem refectionum.» Sic Henno, loc. cit., qu. 8, art. 1, conclus. unica, et cum multis La Croix, loc. cit., n. 1325.

(20. Ratione laboris excusantur omnes illi, qui ad suam suorumque vitam sustentandam ita laborant, ut sine gravi incom-

modo jejunare nequeant, fiatque illis jejunium moraliter incompatible cum tali labore; Comm. Hinc excusantur agricolæ, fossores, cæmentarii, navigeri, fabri ferrarii, lignarii, argentarii, ænearii, stannearii, lapidicidæ, pistores, sutores, coriarii, opere textorio fabricantes pannos, telas et hujusmodi, ubi occupantur in operibus gravioribus, et fere per totam diem. (21. Non excusantur tamen pictores, sutores, acupingentes, notarii, scribæ, mercatores, typographi componentes (aliud est si prælo immediate et assidue insudent), medici, chirurgi, barbitonsores, et hujusmodi: horum enim et similium labor non exhaurit vires. (22. Non excusantur totaliter a lege jejunii iudices, advocati, consilarii, procuratores, computistæ, professores scholares et hujusmodi, qui, si sint applicationibus et studiis assidui, possunt utique uti largiore collatione, sed non duplici plena refectione. (23. Si tamen nequeant officium suum exsequi cum jejunio, et sine valde gravi suo incommodo, ut ordinarie accidit in concionatoribus integræ Quadragesimæ, in professoribus et ludimagistris per magnam partem die docentibus, et computistis itidem per tantum temporis applicatis, tunc, licet opera hujusmodi propter mercedem fierent, excusantur a jejunio: Cajetan., Lessius, Navarr., Filiuc., Layman, Diana et alii passim cum Sporer, loc. cit., sect. 4, num. 59 et 63. (24. Non excusantur a jejunio reipublicæ officiales, nisi laborem exemptioni proportionatum exercent: unde Alexander VII die 19 Mart. 1666, merito damnavit propositionem trigesimam in ordine: «Omnes officiales, qui in republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.»

(25. Ab obligatione jejunii excusat etiam labor honestus qui non est vitæ sustentandæ necessarius, nisi fiat in fraudem legis, et nisi sit levis et parvus labor, seu artis parum laboriosæ; Communis: et patet experientia in divitibus, qui laborando sufficienter in die jejunii eximuntur ab ipso et habetur ex declaratione Eugenii IV anno 1440 his verbis a Bassæo verb. Jejunium 2, n. 7 relatis: «Opifices suas artes exercentes, aut coloni colendis serendisque agris, aut aliis ejus-

(105) Certum est ex propositione damnata relata ab auctore n. 24 quemcumque laborem corporalem non excusare a jejunio. Itaque plures sunt, qui in republica laborant, et nihilominus lege jejunii astringuntur. Neque subsistit Eugenii IV declaratio, quæ ab aliis vivæ vocis oraculum appellatur; nam S. Antoninus, qui hoc tempore scripsit, istius oraculi non meminit; imo docuit oppositum. Nam part. II, tit. 6, c. 2, n. 11, § 6, inquit: «Multum laborantes, quibus imminet necessitas multum laborandi, si non possunt jejunium observare, excusantur. Alias, si possunt utrumque facere commode, tenentur jejunare.» Hic vero loquitur de exercentibus artes laboriosas, ut sunt agricolæ, fabri lignarii, lapidicidæ, cæmentarii, figuli, textores, fullones, lanarii, bajuli, aurigæ, alique, inter hos robustos, et sine notabili incommodo jejunare valentes, teneri ad jejunium affirmat. Item divites artem laboriosam exercentes non ex indigentia, sed majoris lucri gratia, non ex-

modi rebus operam dantes, sive sint divites, sive pauperes, ad jejunium sub peccato mortali non tenentur, et a confessariis absolvi possunt, consulendo illis; ut in eleemosynis aliisque piis operibus oocupentur (163). »

(26. Labor illicitus non excusat defatigatos a jejunio, nisi sit periculum alicujus morbi contrahendi. Unde merito facultas Lovaniensis proscripta sequentem propositionem: «Defessus ex quocumque labore, aut licito vel illicito, v. gr. cum feminis commistione, liberatur a lege jejunii.» Et ratio est, quia non potest rationabiliter præsumi quod Ecclesia velit tales reos ab obligatione jejunii eximere; cum illa, licet benigna, nunquam faveat peccatoribus, maxime si suo favore abutantur et ad peccandum animentur. Unde si debeant defatigationem illam cum aliquo incommodo tolerare, suæ malitiæ et iniquitatis debent imputare. Dicitur autem notanter: «Nisi sit periculum morbi contrahendi,» quia cum teneamur ex lege naturali vitam nostram conservare, ex eadem lege tenemur morbum, etiamsi ex crimine proveniat, impedire: lex enim ecclesiastica cedit legi naturali. Aliud est de corporis fatigatione, quæ non censetur infirmitas, sed quoddam incommodum, quod possumus licite, imo et meritorie tolerare sine remedio, ut patet in cæmentariis et aliis; qui, licet valde fatigati, sæpe tamen jejunant die Veneris in Quadragesima, et quidem cum magno merito: Hactenus Henno l. c. art. 2, conclus. 3.

(27. Omne iter sive pedibus, sive equo, sive curru, sive aliter confectum, et non susceptum in fraudem legis, nec in finem illicitum (si aliunde graviter fatiget itinerantem) excusat a jejunio; Communis, et certa. Quia cum iter sit quidam labor corporalis, est discurrendum de ipso, ac de labore; omnis autem labor graviter fatigans laborantem excusat ipsum a jejunio; adeoque, etc. (28. Quantum autem debeat esse iter pedibus, quantum equo, quantum curru, ut censeatur causare gravem defatigationem, ut sic itinerans excusetur a jejunio, non est assignabilis una et certa regula pro omnibus, cum pro diversitate circumstantiarum, personarum, viarum, temporum et hujusmodi, aliqui duabus horis peditantes magis fati-

cusantur a jejunio, ut post S. Thom. 2-2 quæst. 147, artic. 4 ad 3; docuit idem S. Antoninus per hæc verba: «Si possunt differre... aut subtrahere, vel diminuire laborem, ita ut possint jejunare, et ex hoc non incurrerent detrimentum sui status, tenentur ad jejunium.» Demum S. Vincentius Ferrerius ser. 1 de jejunio fer. 4 Cin. ait: «Sutores autem et sartores, notarii et similes, qui sedendo faciunt opera sua, non excusantur a jejunio,» Fateor tamen hos et alios artifices ex necessitate laborantes, si debiles sint ac sine gravi incommodo jejunare non possint, excusari, non ob laborem præcise, sed ob peculiarem sui corporis habitudinem, quæ exigit refectionem, ut possint laborem artis sustinere. Si ergo talis sit habitudinis homo, ut opera artis cum jejunio sine gravi incommodo componere valeat, jejunare debet. Id vero prudenti superioris et confessarii judicio discerni ac definiiri debet. ROMANI THEOLOGICI NOTA.

gentur, deficient, et restauratione alimenti egeant, quam alii quatuor, aut sex horis itidem peditantes, et aliqui equo, vel curru itinerantes tantum fatigentur, quantum alii pede itinerantes, et e contra. Unde cum Layman loc. cit., c. 3, num. 4; Marchant, loc. cit., q. 4, § 4; Sporer, loc. cit., num. 58; *La Croix*, loc. cit., n. 1344 et communiori aliorum dicendum est, tunc solum excusari itinerantes a jejunio, quando cum labore itineris quomodocunque fiat sive pedibus, sive equo, sive curru, non potest (consideratis personis, viis, temporibus, aliisque circumstantiis) consistere jejunium sine magna difficultate et incommodo. Semper tamen et ab omnibus prae oculis habenda est propositio 31 inter merito damnatas ab Alexandro VII die, et anno quo supra: « Excusantur absolute a praecepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utunque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, et etiamsi iter unius diei conficiant. »

(29. Notanter autem fuit dictum: « Non susceptum in fraudem legis, » quia fraus et dolus alicui patrocinari non debent; cap. *Sedes* 15 et cap. *Ex tenore* 16 de rescriptis, cap. *Tua* 12 de Clericis non resident., cap. *Ex litteris* 2 de Dolo et contumacia; l. *In fundo*, ff. de rei vindic. l. *Cum hi*, ff. de transact. l. *Si legatarius*, cod. de Legatis, cum similibus. Unde si quis de loco ubi viget praeceptum jejunandi in fraudem jejunii se transferat ad locum ubi non jejunatur; ut si die Cinerum de diocesi Papiensi, ubi ad morem Ecclesiae Romanae incipit jejunium Quadragesimale, se transferat quis malitiose in fraudem jejunii ad diocesim Mediolanensem, ubi more Ambrosiano incipit Quadragesima solum prima Dominica; et die 23 Julii, quo Panormi fit jejunium, se transferat quis in fraudem jejunii ad Montem Regalem, ubi illa die non jejunatur, et sequenti die, quo ibi jejunatur, redeat Panormum, peccat graviter arg. citatis Juribus, et Conc. Mediolanens. 1, praeside S. Carolo Borromaeo part. xi, tit. de Jejuniis, ibi: « Illorum vero damnamus ingluviem, qui primis quatuor Quadragesimae diebus Romanae Ecclesiae more institutis, Mediolanum se conferunt, patriarum ritum in jejunio et ciborum abstinentia fugientes, » et colligitur a pari ex constitutione Clementis X incip. *Superna*, ubi in § 7 decernitur posse confessarium regularem absolvere poenitentes confluentes ex alia diocesi a peccatis in ipsa reservatis « nisi eosdem poenitentes noverit in fraudem reservationis ad alienam diocesim pro absolute obtinenda migrasse; » ubi, ut vides, ratione fraudis nequeunt absolvi a reservatis confluentes ad aliam diocesim in fraudem reservationis; sic a pari casu nostro se transferens in fraudem jejunii ad alium locum,

(104) Vide Probabilistarum Dialecticam. Dum homo ad locum veniat, in quo sit Quadragesimae cursus absolutus, non tenetur quadragesimale jejunium continuare per dies qui juxta proprium kalend. supersint; sed potest se moribus eorum apud quos degat accommodare: contra vero, si in loco ex quo disces-

ubi non jejunatur, ratione fraudis peccat graviter non jejunando.

(30. Et ratio intrinseca est, quia licet quantum est ex se quis possit uti jure suo, et sic de loco ubi jejunatur, transire ad locum ubi non jejunatur; nemo tamen potest uti tali jure in fraudem legis, quia jus nostrum est subordinatum legi, ex. Apost. XIII ad Romanos ibi: « Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi a Deo, etc. Itaque qui resistunt potestati, Dei ordinationi resistunt; » et de jure tum canonico, tum civili fraus et dolus alicui patrocinari non debent, cit. juribus. Sic tenent Natalis Alexander, Theol. dogmaticae, moral. tom. II, lib. IV, de Decalog. c. 5, art. 8, reg. 8; Reiffenstuel. Theol. moral., tract. 2 de legibus, dist. 3, q. 4, num. 41; Felix Potestas, tom. I, part. III, num. 2905; Rodr. in Summa 2, c. 219, num. 2; Silvius cum Pontas, tom. II, verb. *Impedimentum clandestinitatis* cas. 22; San. Fernandez et alii plures contra Dianam part. I, tr. 9, resol. 19, et tract. 10, resol. 14; Bonacinam, disp. 1 de legibus, quaest. 1, punct. 7, num. 64 et alios plures, quos ibi refert ipse Bonacina et Tamburin. tom. I, lib. IV, cap. 5, § 2, num. 12, volentes talem non peccare, quia videtur uti jure suo.

(31. Qui autem de loco ubi jejunatur, non in fraudem jejunii, sed bona fide, v. gr. negotiorum, aut peregrinationum causa, transit ad loca seu per loca ubi non jejunatur, non tenetur jejunare; quia lex illa jejunii est affixa loco: Suarez, tertia part., qu. 24, art. 8; Aloza, verb. *Lex*; Navarr. in Manual. c. 28, num. 120; Felix Potestas, tom. I, part. I, n. 163, et part. III, num. 2907; Fagnan., lib. III Decret. in cap. *Concilium* 2 de observat. jejunior., num. 33 et 36, et alii passim. (32. Sic qui non in fraudem jejunii, sed negotiorum causa, aut alio rationabili motivo de loco proprii domicilii, ubi ob discrepantiam novi et veteris Calendarii nondum est incepta Quadragesima, pergit ad locum ubi per hebdomadam est Quadragesima jam incepta, et observatum jejunium, non tenetur illo anno jejunare illic per adhuc alios octo dies Paschae ad complendam integram Quadragesimam, sed potest licite se accommodare moribus eorum apud quos est, arg. c. 3, 11, dist. 12, ubi Glossa in verb. *Societatem* refert illud vulgatum

Si fueris Romae, Romano vivito more,
Et si sis alibi, vivito sicut ibi.

Si cum multis aliis Delbene de Immunit. Eccles. cap. 12, d. 2, sect. 4; Lessius, lib. IV, de justit. et jur. cap. 2, num. 59; Bonacina, disp. 1, de legibus, qu. 1, punct. 6, n. 64; Reiffenstuel Theol. moral., tract. 2, de legibus, dist. 3, qu. 4, num. 40; Fagnan., loc. cit. et alii passim (104). (33. E contra

sit jejunium absolvit quadragesimale, non tenetur se conformare incolis loci in quem venerit, si secundum istorum kalendarium adhuc per dies aliquot jejunandum sit. Quis non stupeat? Loci consuetudini accommodare se potest homo, dum libere vivendum sit, non debet verose conformare moribus aliorum,

vero, si talis, in loco sui domicilii complexet Quadragesimam, non teneretur postea alibi observare illos octo dies, quia praeceptum illud jam implevit, et Ecclesia tantum obligat ad unam Quadragesimam; Delbene, loc. cit. et sect. 5; Sanchez in decalog. lib. I, c. 12, n. 22; Lessius, loc. cit. n. 52; Reiffenstuel, loc. cit., num. 42, et alii passim; dummodo tamen caveat ne alii scandalizentur juxta illud Apostoli: I ad Corinth., cap. 7: *Si scandalizavero fratrem meum, non manducabo carnes in aeternum*. Quid autem dicendum sit de peregrinis et advenis circa jejunium? Vide verb. *Lex*, a num. 2 ad 39.

(34. Ratione pietatis excusantur a jejunio omnes illi qui operibus praestantioribus ac majoris momenti incumbunt, quae una cum jejunio absque gravi incommodo perficere nequeunt. *Communis*. Et ratio est quia jejunium praecipitur ut promotivum ad bonum, et non ut impeditivum majoris boni, unde, si alia pietatis exercitia praestantiora jejunio pro tempore et loco aliquibus personis occurrant, et ipsa obire nequeant cum jejunio sine suo gravi incommodo, tunc a jejunio excusantur. Hinc excusantur concionatores quadragesimales, si quotidie aut fere quotidie concionem habeant cum magno labore et studio; minime vero concionatores illi qui ob conciones alibi repetitas vel ob memoriae facilitatem non indigent longo studio et labore, cum in ipsis cesset causa exemptionis, nempe labor notabilis. Sic excusantur a jejunio lectores et ludimagistri quorum labor est notabilis aut complexio debiliior. Item confessarii complexione debiliores et suo muneri assiduiiores. Item excusantur cantores illi qui ex officio canendi vivunt, et jejunando redderentur inhabiles. Sic de primo ad ultimum excusantur omnes exercentes opera misericordiae tum corporalia tum spiritualia, quando ea exercere nequeunt absque notabili et gravi suo incommodo. Secus autem, si opera illa possint de facili exercere sine tali gravi incommodo. (35. In dubio autem an incommodum sit grave vel leve, ad tollendos omnes scrupulos tutius est recurrere ad legitimum superiorem pro dispensatione. Qui legitimus superior in universa Ecclesia est Papa, in sua diocesi Episcopus, et in ejus absentia in sua parochia parochus, et in religionibus superior, nedum generalis in tota religione, provincialis in sua provincia, sed etiam localis in suo monasterio seu conventu.

Filios seu famulos non servare jejunium Quadragesimae quoad abstinentiam a carnibus eo quod paterfamilias dispensatur, nec potest sufficere sumptibus duplicis mensae, id non sine maxima abusione admitteretur. Bened. XIV, Instit. Eccles. 15, § 25.

dum de jejunio agitur. Vide vero hac de re verb. *Kalendarium*, ubi ostenditur quando quis teneatur ad absolvendum quadragesimale jejunium in iis etiam locis ubi sit jam Pascha celebratum juxta diversum kalendarium, quia viget praeceptum de ser-

APPENDIX.

SEU NOVUS DE JEJUNIO ARTICULUS.

(36. In hoc articulo paucis expediemus ecclesiastici jejunii historiam et catholica dogmata. Ac primum varia Ecclesiae jejunia juxta veterem ac recentem disciplinam; deinde praesentem occidentalis et orientalis Ecclesiae disciplinam exponemus; de dogmate denique disputabimus.

(37. Jam igitur primum omnium satis constat, quadragesimale jejunium, utpote ex ipsa Apostolorum traditione descendens, quidquid inepte et imperite prorsus effutiant Calviniani haeretici, illud inter superstitiones hominum inventa adnumerantes, longe antiquissimum esse. Ut enim divus Augustinus habet libro adversus donatistas quarto, capite 24: « Quod universa tenet Ecclesia, nec conciliis institutum; sed semper retentum est, non nisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur. » Jam vero quadragesimalis institutio jejunii, neque ex divinis Scripturis, neque ex cujuspiam concilii decreto ostendi potest. Et catholici quidem vel ipsis primis Ecclesiae saeculis hac eadem apostolica traditione instructi, jejunium quadragesimale semel in anno servabant; haeretici autem Montanistae tribus quadragesimis quotannis corpora sua macerabant, ut auctor est divus Hieronymus, in epistola ad Marcellam scribens: « Nos una Quadragesima secundum traditionem apostolorum, toto anno, tempore vobis congruo jejunamus. Illi (nempe Montanistae) tres in anno faciunt quadragesimas, quasi tres passi sint Salvatores. » (38. Atqui jejunium istiusmodi, ad dies quadraginta vel prope quadraginta, scilicet triginta sex, minime vero vel ad horas quadraginta, vel ad unum tantum, aut tres dies extendere consuevisse primi temporis Christianos et luculentissimis sanctorum Patrum testimoniis satis constat, quae hic brevitate gratia missa facimus. Initium vero talis jejunii non eodem semper tempore coeptum est; nam primum feria secunda consequente Dominicam quae Quinquagesimae dicitur, jejunium quadragesimale incepisse Patres complures testantur, desisse vero Sabbato praecedenti Majorem hebdomadam; nam haec propterea quod severiori jejunio, quod ab antiquis scriptoribus Antipaschale appellari consuevit, transigebatur, intra dies quadraginta computari haud solebat. Coepit deinde initium jejunii a feria secunda post Dominicam quae prima dicitur Quadragesimae, atque ad usque Pascha extendi consuevit, et ex praecedenti hebdomada, scilicet Quinquagesimae, additi sunt dies quatuor ad subsequentes, tametsi hujus sit incertum additionis tempus; sed antiquam tamen esse ecclesiastici scriptores produunt quamolurimi.

vando proprio ritu, et de celebrandis festis servandisque jejuniis juxta proprii Kalendarii praescriptum, ut facere debent Latini qui inter Orientales versantur. (Not. Rom. theol.)